



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

46. Circa horam nonam clamavit Iesus voce magna: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

præterea aliqua certa pœna legitimè iniuncta, qua vel Deo & Ecclesiæ satisfiat, vel ipsi penitenti medicinæ in modum subueniatur. Iudas igitur nulla planè ex parte illam penitentiam egit, quæ in scholis Catholicis docetur.

Iam quod addit Calvinus, *omitti à Catholicis quod præcipuum erat, hominis ad Deum conuersionem, dum pudore & metu fractus peccator in obsequium iustitiæ se addicit*, putida calumnia est, quam quælibet ancilla Catholica mædaci jarguet. Omnes enim qui penitentiam Catholicam aggrediuntur, hoc omnium esse primum intelligunt, ut de peccatis præteritis odio concepto, & emendationis proposito firmiter arrepto, per veram cordis contritionem ad Deum se conuertant, & ad melioris vitæ studium seriò se accingant. Sed nisi mentiendo cauillari Calvinus non potuit: ideòque mentiri necesse illi fuit, qui quoquo precio cauillari voluit.

Putida
Caluini
calumnia.

46. Circa horam nonam clamauit Iesus voce magna: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?

HOc in loco infernalem verèque Satanicam doctrinam suam de maledictionis & iræ diuinæ metu atque horrore quem Christum in animo concepisse blasphematur Calvinus, confirmare nititur. *Quamquam (inquit) apparuit plus quam humanus vigor in Christi clamore, certum tamè est vehementiam doloris illi fuisse expressum. Et cerè hic præcipuus fuit conflictus & omnibus alijs tormentis durior, quòd in suis angustijs a deò leuatus nõ est Patris auxilio vel fauore, ut se quodammodo alienum sentiret. Neq; enim corpus solè in prætiũ nostræ cùm Deo recõciliationis obtulit, sed in anima etiã pertulit debitas nobis pœnas: atq; ita verè factus est vir dolo,*

Satanica
Caluini
doctrina
de Christi
pœnis infernali-
bus.

dolorū, sicut Esaias loquitur. Et verò nimis insulsi sūt qui hac redemptionis parte posthabita, tantū in externo carnis supplicio insistant. Quòd in hoc impio sermone partē redemptionis nostræ extra corporalem Christi mortem Calvinus ponit, & debitas nobis pœnas in anima quoque Christum pertulisse affirmat, quàm ab eo impiè, sceleratè, & à diuinarum Scripturarū veritate abhorrenter dictum sit, in parte quadragesimali Pröptuarij nostri Catholici accuratè ostendimus. Nunc vt de textus nostri propria intelligentia contra eius horrendas corruptelas disputemus, ea explicatione prætermittā, reliqua adhuc audiamus quæ eò propriè pertinent. Nam (inquit) vt pro nobis satisfacret Christus, reum ad Dei tribunal sibi oportuit. Nihil autem magis horribile quàm Deum sentire iudicem, cuius ira mortem omnes superat. Ergo quum species tentationis Christo obiecta est, quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus, horrore correptus est, quo centies cuncti mortales fuissent absorpti, ipse autem mirifica Spiritus virtute victor emerfit. Nec verò fictè vel theatricè conuerit se à Patre relictum. Nam interior animi aestitia vi & ardore suo eum coegit in clamorem erumpere. Nec tantum ocularis fuit redemptio qua defunctus est; sed vt se vadem pro nobis obrulerat, verè Dei iudicium subire loco nostro voluit. Vult Calvinus in his verbis, Deus, Deus meus, quare me dereliquisti? Christum vera & vehementi tentatione correptum fuillè, quasi Deo auerso iam esset exitio deuotus, & quòd interior animi eius aestitia vi & ardore suo eum coegit in hunc clamorem erumpere. Hic est ergo ille timor maledictionis & iræ Dei, quem in sua pestilenti Institutione Christo attribuit. Hæc est illa formidabilis abyssus qua sensit se à Deo derelictum & alienatum: & de qua subiunxit ibi Calvinus, Christum eò fuisse delectum, vt coactus fuerit vrgente angustia exclamare, Deus, Deus meus, &c. Expendamus

In feria 4.
hebdomadæ
sanctæ.

Instit.
lib. 2.
cap. 16.
num. 21.

mus nunc hoc totum, quid & quale fuerit.

Primum in eo nefarie errat Calvinus, quod tum hoc in loco, tum in sua Institutione, ait Christum vi maestitiae & urgente angustia coactum in hunc clamorem erupisse. Verba enim ista animo penitus sedato & composito pronuntiauit, nec ullus vel maestitiae vel timoris motus in Christo rationem eius praue nit, sed hos affectus humanos veros & verè in se suscepit pertulitque, non vt nos inuoluntarios, aut, vt hic Calvinus dicit, *coactos*, sed penitus liberos, quando & quomodo & quoties voluit, vt alijs in locis contra Calu- num ostendimus, ideoque hoc loco non repetimus. Hec igitur verba, *Deus, Deus meus, &c.* nec ex aliqua noua angustia eum cogente, nec ex propria angustia aut maestitia tunc primum inuenta vel extorta, sed olim de eo propheticè praedicta vsurpat. Tota enim haec oratio seu exclamatio praemeditata & praecognita illi fuit, vt ipsa mors, passio, omnesque eius circumstantiae fuere. Hic ergo primus Calvinifœdus error, quod has voces vi doloris coactum emisisse Christum arbitratur.

Suprà
ca. 26. 39.
Ad Lucã
cap. 22. &
Ioan. 12.

Alter & multo grauior error est, quod illa verba ex tentatione illi obiecta, quod à Deo desereretur, quod exitio deuoueretur, quod Deus illi irascetur, Christum protulisse affirmat. Id solum his verbis Christus dicere & ostendere voluit, humanam suam naturam sibi fuisse derelictam, absque consolatione diuinitusei impertita: vt videlicet omnes intelligerent quantum in corpore veri doloris & poenarum pro humano genere perferret. Non timet ullam vel minimam à Deo quoad animae statum derelictionem, sed negatam praesentibus corporis poenis consolationem his verbis expressit: idque ideo, vt notum faceret quare oportuerit eum non erui,

Cur in
Cruce
Christus
exclama-
uit.

non

Serm. 17.
de Pass.

non defendi, sed scruentium manibus derelinqui, hoc est, Saluatorem mundi fieri & omnium redemptorem non per miseriam, sed per misericordiam, nec amissione auxili, sed definitione moriendi, ait B. Leo. Certum est, multos martyres in medijs pœnis tanta diuinitus consolatione perfusos fuisse, vt illa consolatio omnem propemodū doloris sensum illis eripuerit. Noluit hac consolatione frui Christus. Voleit sicuti omnem contumeliam & ignominiam, ita omnem corporis dolorem & cruciatum perpeti, qui in id genus mortis cadere potuit. Vt autē hos dolores verē eum pro nobis pertulisse, & quanti Christo nostra salus cōstiterit, omnes in eum credituri intelligeremus, hanc dolorum suorū acerbiter & negatam interiūs consolationem his verbis expressit.

Metus derelictionis diuinæ in Christum cadere non potuit.

Quomodo verò cuiquam credibile esse potest, diuinæ maledictionis aut desertionis vel minimam suspicionem in Christū (quum hæc diceret) cadere potuisse, quum non solum antea sponte hostibus occurrerit, magna animi securitate eos allocutus fuerit, sua potestate prostrauerit, Petrū passionem eius impedire volentem acriter increpauerit, 12. legiones à Patre se impetrare posse cōfidenter dixerit, accusatoribus & persecutoribus suis venturū se in maiestate pronuntiauerit, flentes mulieres consolatus vltiones futuras prædixerit (quæ verba testantur, ait ipse Calvinus, quā excelsa animi fortitudine præditus fuerit, quia sic loqui nō poterat, nisi constanter & intrepidē ad mortem pergeret) verū etiam eodē ferē temporis momento, & pro crucifigentibus eum Patrē oraret, & latroni paradisum promitteret, & matrē discipulo commendaret, & statim post hæc verba, dicto, *Sitio*, quod etiam mysticē dicebat, & aceto potatus, sciens

sciens quia omnia iam consummata essent, ideo-
que dicens, *Consummatum est*, Patri commendans
spiritu suum, expirauerit? Nonne omnia in Chri-
sto quæ hæc eius verba, *Deus, Deus meus, &c.* præces-
serunt, ac sequuta sunt, animi sedati, imò animi
diuini & Filio Dei digni verba fuerunt? Pro cru-
cifixis orare, misericordiæ sedatissimæ fuit.
Latroni paradysum promittere, diuinæ potestatis
fuit. Matris curam habere, animi compositi mi-
nimèque turbati fuit. Cætera subsequenta ver-
ba, *Sitio, Consummatum est, Pater in manus tuas, &c.*
quam vel minimam habent timoris, formidinis,
aut perturbationis speciem? Ergo morti proxi-
mus *inconsideratum verbum protulit, & vox illi desperatio-
ni elapsa fuit?* Sic enim ait Caluinus, vt inox vi-
debimus. Nunc id tantum dicimus & vrgemus,
nullum iræ diuinæ aut maledictionis metum Chri-
stum in his verbis concepisse. Quod nunc pres-
sus contra nefandam Caluini impietatem, ipso
Christo donante, ostendemus.

Si Christus in cruce dicens, *Quare me dereliquis-
sti*, ullam Dei iram, maledictionem, iudicium vel
ad momentum timuit; quomodo verum est quod
in eius persona & de eius futura passione Scriptu-
ra dicit? *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, Psal. 15.
quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lata-
tum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro
mea requiescet in spe, quoniam non relinques animam meam
in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*
Omnia hæc de Christo, eiusque passione, morte,
resurrectione dici D. Petrus in Actis nos docuit. Act. 2.
Si ergo Christus patiens Deum semper in conspectu
suo habebat, qui illi à dextris esset ne commoue-
retur; quomodo Dei maledictionem timuit? Dico
si semper, vt Scriptura dicit. An non aduersa fron-
te

Scripturis
apertè
contradi-
cit Calui-
nus.

te cum Scripturis pugnat Calvinus, Christumque Redemptorem nostrum, in quo Patri semper bene complacuit, foedissima & atroci iniuria conspuit. Quomodo verum esse potest quod Christus dixit, ego praecepta Patris mei servavi, & maneo in dilectione eius, si (quod Calvinus dicit) iram & maledictionem Dei timuit, & vox illi desperationis elapsa est? Si praecepta Dei semper servavit, certe iram Dei timere non potuit, nisi etiam Deum quoque iniustum Calvinus fingat, ut Christum desperatione tentatum probet. Rursum si mansit semper Christus in dilectione Patris, quomodo eius maledictionem timere potuit? An forte quem Deus diligit, ei etiam maledicere & irasci potest? Aut qui Deum diligit, eum sibi irascentem & aversum poterit unquam sentire? Quae magis pugnantia dici aut cogitari possunt? Et tamen aut haec pugnantia dicere, aut cum Scripturis pugnantia docere Calvinum necesse est.

Calvini
effugia
inanissima,

Calvinus ut tantae rei indignitatem tamque horrendam in Christum blasphemiam non nihil attenuet, & aliquo modo probabiliter reddat, hoc fucosum titulum. *Sciendum, inquit, est, talem fuisse tentationem ex doloris & metus sensu quae cum fide non pugnaret: quia se quasi derelictum à Deo sentiens, ne tantillum quidem deflexit à bonitatis eius fiducia.* Et hoc in loco, proposita sibi hac obiectione, *absurdum videri Christo elapsam esse desperationis vocem. Solutio (inquit) facilis est, quanquam sensus carnis exitium apprehenderet, fixam tamen steterit fidem in eius corde, quae Deum praesentem intuitus est, de cuius absentia conqueritur. Quare nihil obstat quo minus Dei alienationem mente conceperit Christus, prout sensus dubitabat, & simul fide retinuerit Deum sibi esse propitium.* Hanc quoque evasionem probare vult ex ipsis illis verbis, ex quibus hunc divinae maledictionis

In Matth.
cap. 27.
ver. 46.

metum

metum probare conatur. Quod satis clarè patet ex duobus quæ criminis membris. Nam antequam tentationem exprimat, præfatur se ad Deum confugere tanquam Deum suum (dicens, Deus meus, Deus meus) atque hoc clypeo fidei fortiter repellit illam, quæ se ex opposito ingerebat, derelictionis speciem. Denique in hoc atro cruciatu illæsa fuit eius fides, ut se relictum esse deplorans, propinquo tamen Dei auxilio consideret. Hæc ille. Sed totus hic fucus totaque euasio quàm variè futilis sit, attendat lector. Primū verba illa, Deus meus, Deus meus, sicuti Calvinum docuerunt, fiduciam Christi (quam ille fidem impropriè vocat) stetisse semper illæsam, ita etiam docere debuerunt, nullam illi fuisse derelictionis diuinæ tentationem, nullam desperationis vocem. An non enim multo facilius est, Christi que puritati conuenientius, totam Christi orationem tam breuem, tam succinctam, libi similem & conformem facere, sanctæque fiducia quo ad Dei in eum bonitatē plenam, & derelictionem de qua loquitur, ad instantem mortem referre, à qua Christus naturaliter hic abhorrebat, sicut in horto, quā ad iræ & maledictionis diuinæ metum? Hæc enim duo optimè consistunt, ut manente fixa & immobili diuinæ bonitatis fiducia, siue Christus siue aliquod membrum eius temporalem mortē naturaliter refugiat, aut aliquod aliud malum pœnale. Sed manente bonitatis diuinæ fixa fiducia, ut eiusdē bonitatis metus & diffidentia in aliquo oriatur, etiā quouis homine, nedū in Christo, non magis possibile est, quàm ut manente feruido calore aliquis frigeat. Fixæ quippe fiduciæ (quam in Christo manere Calvinus ponit) non minus repugnat iræ & maledictionis diuinæ metus, quàm feruido calori quodlibet frigus. Maluit tamen Calvinus

sensum in illis verbis penitus pugnantem statuere, quàm cum omnium fidelium consensu sensum verbis conformem agnoscere.

Deinde non satis est agnoscere in Christo firmam & fixam diuine bonitatis fiduciam, à qua, vt Calvinus nunc dicit, nec tantillum quidem deflexit, sed etiã talem quæ tentari aut commoueri non potuerit. At enim disertè de seipso Christus. *A dextris mihi Dominus est, ne commoueat.* Nō fuit ergo in eo genere ne tentatus quidem. *Nullam Dei alienationem mente concepit* Christus, vt hīc loquitur Calvinus. Talis quippe alienatio mente concipi sine motu mentis quomodo potuit? At ne commotus quidem fuit, vt Deū à se alienum aliquando cogitaret. Scripturæ igitur diuinæ manifestè repugnat impium Caluini commentū, sicuti cum seipso pugnare prius docuimus.

Motus
diffiden-
tiæ in
Christum
cadere
non po-
tuit.

Instit.

lib. 2. c. 16

num. 12.

Heb. 4.

Rom. 8.

Tentatio-
nes ex car-
ne peccati
in Christo
nō erant.

Imò ait Calvinus, *Spiritus Dei hæc duo simul concipiat, Christum fuisse tentatum per omnia sicut nos, & tamen absque peccato.* Atqui Scripturam deprauat, & textū corrumpit. Non enim dicit Paulus Christum tentatum per omnia, *sicut nos*, quasi etiam vitiosos affectus haberet & desideria praua sicut nos, sed Paulus dicit, *pro similitudine* siue iuxta similitudinem, videlicet *carnis peccati*, vt alibi dicit, *Filiū suum mittens in similitudinem carnis peccati*, non autem iuxta similitudinem nostram, vel sicut nos. Quæ duo plurimum differunt, Christus enim habuit tentationes quæ similitudo carnis peccati proferre potest, sed non quas caro peccati (qualis nostra est) proferre solet. Ideò Paulus adiecit *absque peccato*, id est, absque illis tentationibus quæ ex peccato nascuntur. Metus iræ diuinæ & maledictionis Dei (qualem hīc ponit Calvinus) est tentatio propria carnis peccati, & hominis in peccatis nati, adeo.

adeoque veri peccatoris. Non enim nisi peccatis irascitur Deus, nec iram Dei sic timet iustus. Metus mortis & aliorum pœnaliũ cadere potuit in similitudinem carnis peccati, quia sine peccato, naturali tantũ voluntate, illa refugiuntur. Sic hic locus adeo Calvinum non iuvat, vt eum perspicue refutet. Ponit enim in Christo tentationes similitudinis carnis peccati, & negat in eo tentationes carnis peccati, quæ non sunt nisi ex peccato.

Præterea si in illis verbis in Cruce prolatis; *Quare me dereliquisti, Christus ne tantillum quidem à diuine bonitatis fiducia deflexit, Christi fiducia in Deum fixa & illæsa permansit, si Deum præsentem intuebatur, & fide semper retinuerit Deum sibi esse propitium; denique fides Christi minimè fuit concussa, sed suo loco semper inuicta stetit* (quæ omnia Calvinus dicit) quomodo vera sunt illa alia portentosa eius verba, Christum diros in anima cruciatus damnati ac perditĩ hominis pertulisse, cum inferorum corpis æternæque mortis horrore quasi confertis manibus luctatum fuisse, formidabilem illam abyssum ingressum esse, qua se à Deo derelictum & alienatum sentiret, idque perinde ac si in ipsius perniciem Deus conspirasset: denique sceleratorum pœnas omnes quæ ab illis expetende erant, persoluisse, hoc vno excepto, quod huiusmodi doloribus teneri non poterat. Quorsum hæc tam tragica verba, si totus ille quem fingit diuinæ maledictionis metus & conceptio, sic momentanea imò sic nulla erat, vt fiduciam diuinæ bonitatis nunquã amiserit, vt reuera Deũ sibi iratũ nõ timuerit, vt eũ semper præsentẽ, sibi que propitiũ, fixa & illæsa fide tenuerit. Quam sunt hæc secũ pugnãtia, quam absurda, quam ridicula! Sed hæc est consueta & ordinaria Caluini partim impie-

Instit.
lib. 2.
cap. 16.
num. 10.
& 11.

Caluini
ludus.

tem euomuit, eam summa impudentia rursus negat. Denique ubi in Christum Dei ore sacrilego dixit quaecunque scelerato animo collibitum fuit, nunc istis exceptionibus atrocem suam blasphemiam colorare & obscurare nititur. Quod re ipsa perinde est ac si quis ubi narrauisset aliquem esse mentitum, esse calumniatum fratres, infidelem, & blasphemiam euasisse (quibus ut per se malis semel admissis nulla moderatio affectuum medeatur ut non sint peccata) adijceret; sed ita tamen ut ne tantillum quidem à Dei mandatis deflexerit; ut charitas nihilominus & fides, totaque veritas, fixa in eo atque illaesa permanserint: nisi quod istud tanto sceleratius, & magis ridiculum est, quanto filius Dei homini peccatori praestat.

Sed an ista confitere queant adhuc expendamus magis. Hic enim confictus in Christo animae cruciatus tanti à Caluino eiusque sectatoribus fit, ut eo praeterito, multum ex mortis Christi fructu deperire, imò ut in eo, *Redemptionis nostrae pretium maius atque excellentius esse*, affirmet Calvinus, quàm in morte & sanguine Christi; ut Beza etiam scribat, *in eo positam esse nostrae pacis & cum Deo reconciliationis summam*. Expendamus igitur adhuc nonnihil doctrinae huius Calvinianae summam & extremam impietatem. *Christus* (ait Calvinus) *cum aeternae mortis horrore conflixit. diros cruciatus damnati & perditissimi hominis sustinuit. Sceleratorum poenas omnes persoluit, excepto quòd aeternae non erant. Mortem quae ab irato Deo sceleratis infligitur, perpassus est*. Examinemus paululum haec singula. Horror aeternae mortis & poena hominis damnati, includit essentialiter desperationem salutis, sicut beatitudinis praemium includit certitudinem salutis nunquam amittendae. Si ergo damnati hominis cruciatus sustinuit Christus,

Instit. lib.
2. cap. 16.
num 8.
& 10.
In Anno-
tat. in
Luc. c. 22.
ver. 44.

Poenam
in ferna-
lem Chri-
stus non
subiit.

In Mattheo
cap. 27.

tus, profectò non solum desperationis vocem emisit,
 nec sola species tentationis ei obiecta est quasi Deo auerso
 iam esset exitio deuotus; sed ipsa desperatione labora-
 uit, & de salute sua, quum in horto & in cruce illa
 verba diceret, desperauit. Sanè ad illa apud Mar-
 cum verba, *Omnia tibi possibilia sunt*, ait Calvinus,
 Christum, quia nihil erat spei, ut in rebus deploratis fieri
 solet, in Dei virtutem se reiecit. Si nihil erat spei in
 Christo, desperauit igitur. Deinde si sceleratorum
 pœnas omnes, excepto quòd aeternæ non erant, in anima persol-
 uit, ergo & ignem illum infernalem sentit de quo
 Christus dixit, *Ite maledicti in ignem aeternum, qui para-*
tus est Diabolo & angelis eius, hoc vno duntaxat ex-
 cepto, quòd ille ignis Christo aeternus non fuit.
 Hæc est enim propria pœna sceleratorum aeterna.
 Rursum si mortem Christus pertulit quæ ab irato Deo sce-
 leratis infligitur, ergo mortem secundâ, quæ proprie
 stipendiû peccati est, propter quod proprie Deus
 irascitur, pertulit. At illa propria est damnatorû
 pœna. Omnino (ait Calvinus) talè pertulit, quia
 in locum illorum tanquam sponsor & vas instar rei submis-
 sus est. Quod & hoc loco ait: *Non tantû ocularis fuit*
redemptio, qua defunctus est Christus, sed vt se vadem pro
nobis obtulerat, verè Dei iudicium subire loco nostro voluit.
 Hec ille. At vnde hoc tandem, prophanum & in-
 auditum in Ecclesia Dei verbum, accepit Calui-
 nus? Hoc (inquit) significat Propheta in illis verbis: *Discis*
plina pacis nostræ super eum, percussus est propter scelera
nostra, attritus propter infirmitates nostras. Atqui hoc to-
 tum de pœnis quas sustinuit Christus in corpore
 suo super lignum, intellexit semper Ecclesia Dei,
 An non sic Apostolica Scriptura aperte nos do-
 cuit? *Mortuus est (ait Paulus) propter delicta nostra iux-*
ta Scripturas. An non docet hic locus Scripturas
 propheticas quæ de Christi pœnis loquuntur, eas

Matth. 25

Institur.
lib. 2.
cap. 16.
num. 10.

Esai. 53.

1. Cor. 15

3.

Christi
pœnæ
omnes
corporeæ.
In Com.
ad 1. Cor.
15. 3.

designare quas per mortem corpoream pertulit? Sane ipse Calvinus in hunc Pauli locum inter alias Scripturas quæ Christum pro peccatis nostris moriturum prædicunt, etiam hunc Esaiæ locum ponit: *moxque addit, mortem Christi fuisse sacrificium pro expiandis peccatis nostris, fuisse pœnam satisfactoriam per quam Deo reconciliaremur, fuisse vniuersam damnationem ad impetrandam nobis absolutionem. Ut quid ergo impius Calvinus tam aduersus Scripturas, quam aduersus seipsum, nunc morte corporea Christi nihil actum esse affirmat, & Scripturam quæ de morte Christi corporea, & cruciatibus circa illam corporeis aperte loquitur, ad animæ desperatam vel de salute sua dubitantis ac diffidentis, ad damnati hominis pœnas & æternæ mortis horrorem, impiè trahit? Nonne Scriptura illa prophetica, ut non nisi de pœnis corporeis sermonem illic fieri intelligeremus, totam illam prophetiam his verbis concludit, *Et liuore eius sanati sumus?* Liuor autem iste quis dubitat quin corporeus fuerit, quem tot flagella, alapa, spinea corona, crucis baiulatio, ac demum preciosi sanguinis copiosa effusio pepererunt? Deinde nonne D. Petrus quasi hunc Esaiæ locum exponens ostendit percussione illam de qua Propheta loquitur, ad corpus Christi pertinere? *Peccata (inquit) nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* & paulo post: *Cuius liuore sanati estis.* Quod Esaias dixit, *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, vulneratus est propter iniquitates nostras, atrox est propter scelera nostra,* hoc totum explicauit Petrus in corpore Christi super lignum præstitum fuisse. Vnde & Calvinus ipse in hunc locum Petri fatetur, *ex Esaiâ, qui pluribus vtitur loquendi formis, huius doctrine summam Petrum sumpsisse.* Et addit Calvinus, *tota Esaiæ sententia enumerata, idem**

Calvinus
ex seipso
refutatur.

1. Pet. 2.

ex

exprimere voluisse Petrum hoc verbo, Super lignum. Nepe
 hac lege nos fuisse Deo reconciliatos, quia apud eius tribunal
 Christus se vadem ac reum pro nobis constituit, ut penam
 solueret, cui obstricti eramus. Hæc ibi Calvinus, suam
 hoc loco impietatem ore proprio perspicue dam-
 nans. Si enim Christus iuxta Esaiæ sententiam,
 quam Petrus expressit, constituit se vadem ac
 reum pro nobis apud tribunal Dei, quatenus peccata
 nostra pertulit in corpore suo super lignum, quæ est sen-
 tentia Petri, mædax & blasphemus Calvinus est,
 qui in eisdem Esaiæ verbis significari affirmat,
 Christum sic ad tribunal Dei sponsorem ac vadem adeoque
 & instar rei submissum esse in locum sceleratorum, ut cum
 inferorum copijs æternæque mortis horrore quasi confertis
 manibus conficiens, damnati & perditæ hominis pœnas om-
 nes, excepto quod æternæ esse non poterant, persolveret: id-
 que non iam in corpore super lignum, sed in ani-
 ma adhuc orans in horto, iram ac maledictionem divi-
 nam timens, & in ipso crucis ligno non tantum in
 corpore sed etiam in anima formidabilem illam abys-
 sum sentiret, derelictum & alienatum se à Deo esse, idque
 adeo quasi in eius perniciem Deus conspirasset. Hæc teter-
 rima verborum monstra, non solum diuersa sed
 planè contraria illis sunt quæ Esaiam Prophetam
 significare Calvinus voluit, si ramè Petro & Pau-
 lo plusquam Caluino credimus. Sed si ita
 singula examinemus, nullus refutandi
 finis erit. Reliqua vide in parte
 quadragesimali Promptuarij
 nostri Catholici, in fe-
 ria quarta hebdoma-
 dæ sanctæ.

(. . .)

(. .)